

pulus tertij temporis vocatur Iezrahel. quia ob eius ultionem, Dominus totam posteritatem Iehu deleere volebat. scilicet ob truculentiam, quam in urbe Iezrahelis ante exercuerat. ¶ Porro hæc ultio sumpta est de domo Iehu, in quarta eius generatione, scilicet anno centesimo postquam Iehu regnum incepit. ¶ Et quia Iehu, & Reges eius successores, cum toto populo, idolorum cultum, quem deleuerant, reparauerunt, ideo subdit Dominus.

*Quiescere faciam regnum domus Israel: et in illa die conteram arcum Israel, in valle Iezrahel.* Hæc prophetia impleta est, anno qua-

4 Reg. 17

Eodem.

Hieron.

Psal. 77.

Psal. 75.

dragesimo primo, post ultionem sumptam de domo Iehu, scilicet in quarta eius generatione. Anno igitur. 41. post extinctam posteritatem Iehu, Salmanassar Assyrius quiescere, & cessare fecit regnū Israelis: ipsum penitus extinguens, & quia Assyrij commiserunt bellum cum Israele in valle Iezrahel, & Israelis fortitudo maximè in arcu consistebat, ideo inquit conteram, per Assyrios arcum Israelis, in quo confidebat, in valle Iezrahel, ubi pugna commissa est. Pugnam in hac valle admissam docuit Hieronimus. Israellem in arcubus confidisse, docet illud: Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum. & illud, Ibi confregit potentias, arcum, scutum, & bellum. Quod etiam mox noster Propheta docebit. Erat igitur potentia in arcu. ¶ Cur verò cessauerit regnum Israelis omnino,